

PRAEFATIO.

indies magis magisque perpoliri, et aliam induere faciem. Prudentiae enim civili iam pridem Lipsius, Boeclerus, Conringiusque strenuam nauaverant operam. Vnde facile intelligebam, discipulis commodis magno-pere consultum iri, si quis per clarissimos scriptores sparsa colligeret, et in unum rite coire corpus iuberet. Nihil ergo magis in votis erat, quam ut alii, quibus exactius iudicium, doctrinaeque vberior obtigit copia, literatam pubem, eosque, quorum interest, hanc rite fingi formarique, insigni hocce sibi obstringerent beneficio. Sed cum votis parum proficerem, et tamen magna cupiditate iuuenum in meam disciplinam subinde se tradentium, studia rite promovendi flagrarem, tandem ipse ingenii periclitari vires mecum constitui, aliorum iudicia eo minus extimescens, quod nec doctrinae ostentandae, nec gloriolae captandae, (ita enim longe aliam mihi ingredienda fuisset via) sed aliorum commodis inseruiendi causa, haecce me delegisse partes, certus essem.

Nec poenituit me haecenus consilii mei. Dum enim accuratiori meditatione praecipua doctrinae, quam pertractandam sumpseram, capita prosequerbar, subinde deprehendebam, quaedam a praestantissimis etiam viris perperam dicta esse. Ita enim est, dum primum praeclara inuenta in lucem proferruntur, nondum statim maturitatem, summumque fastigium, consequuntur, quippe
ad